



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Nihil heic novi statutum à Nicolao. At clausula quæ dein sequitur in ejus literis, prorsùs abolet auctoritatem synodorum. Iubet enim acta synodi ad se mitti; ut si injustè fuerit judicatum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

CAPVT XLV.

Synopsis.

I. Nicolao primo debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinae. Is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque iuribus Principis. Unde emerfit necessitas mittendorum Legatorum in provincias.

II. Inde etiam factum ut idem Nicolaus ad Episcopos Gallicanos scripserit apostolica illos auctoritate synodum Metensem celebraturos esse, eique praefueros Legatos suos. His tamen verbis utitur quae plurimum modestia praefertur.

III. Praeter causam Lotharii & Theutberge, Nicolaus Legatis suis commisit omnes causas provincialium Gallicanarum. Vnicum hoc vinculum retinenda auctoritatis. Cause difficiles ad apostolicam sedem referenda.

IV. Nihil heic novi statutum à Nicolao. At clausula quae deinceps sequitur in eius literis, prorsus abolet auctoritatem synodorum. Iuber enim acta synodi ad se mitti; ut si iniuste fuerit iudicatum, restaurari iubeat cognitionem.

V. Retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros, iubens ut Legati facultates instructionesque suas communicent cum Karolo Calvo, ut praesentibus Consiliariis eius examinentur, demum vero executioni mandentur si consensus Regis accesserit.

VI. Prospexit etiam dignitati Episcoporum, Legatis imperans ut easdem facultates & instructiones ostenderent Episcopis. Quo consilio id factum. Populo quoque Christiano ista significari iussit, ob necessitatem publicationis. Ea ratione Conciliorum provincialium auctoritatem infregit.

VII. Emerferunt deinceps frequentes legationes, quas recensere supervacanea diligentia fuerit. Decurrendum tantum est per illustriores sequentium seculorum eventus.

QUONIAM ventum est ad Nicolaum primum, cuius studiis debentur initia nonnullorum capitum posterioris disciplinae, operae pretium est in illo paulisper immorari, praesertim cum ex his quae dici ea occasione possunt pendeant ea quae deinceps dicturi sumus de auctoritate & facinoribus Legatorum. Ante Nicolaum Concilia generalia regni Gallicani congregabantur auctoritate Regum, etiam ea quae Romanus Pontifex haberi praecipiebat. Qui mos cum satis decens ac rationi consentaneus hactenus habitus fuisset, Nicolai tamen auctoritate tentatus est. Nam is immediatam Conciliorum generalium convocationem in se traxit absque litteris Principis, eo colore quaesito, quod nemini liceat generalem synodum convocare absque iussione sedis apostolicae. Ex eo principio emerfit necessitas mittendorum Legatorum in provincias, ut Concilia celebrarentur sub eorum praesentia, tanquam si ipse summus apostolicae sedis antistes adesset

Vide infra lib. 6. cap. 28. §. 1.

Ibid. §. 3. & 11.

& ordini iudiciorum immineret. Vidimus itaque in capite superiori missos ab eo Legatos fuisse in Galliam in causa divortij Regis Lotharii, tum etiam ut concordiam revocari procuraret inter Reges dissidentes. Quod ultimum negotium licet merè seculare esset, nihilque spirituale haberet admixtum, Legato tamen commissum est, ut inciperent Legati omnia negotia in se trahere.

II. Memorabilis est Nicolai epistola ad Episcopos in Concilio Metensi residentes: in qua praescribens ordinem quem sequi oporteat in causa divortij Lotharii, propter quam & Concilium celebrari iubebat & Legatos mittebat, apostolica Episcopos illos auctoritate synodum celebraturos esse pronuntiat, eique praefueros Legatos suos. At tamen his verbis utitur quae plurimum modestiae praefertur, fortassis ut ea ratione facilius Episcopos ad consensum traheret, obstiturus novitati, si superbe ac perversaciter quaesita auctoritas fuisset. Hortatur enim eos ut cum Legatis apostolicae sedis synodum congregent, cui cum fraternitate eorum praesideant idem Legati, quatenus, inquit, à pontifici nostri latere venientibus Missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fultis auctoritate, cum fraternitate vestra praesidentibus, adunare debeatis. Ea ratione obtinuit Nicolaus quod animo destinaverat, infelici tamen exitu ob perfidiam & avaritiam Legatorum, ut ipsemet Nicolaus graviter conqueritur alicubi.

III. Praestat reliquas istius epistolae partes diligenter excutere. Missi fuerant Legati ob causam Lotharii & Theutberge, quemadmodum colligitur ex variis Nicolai epistolis & ex scriptoribus illorum temporum. Alias tamen causas, quaecunque tandem illae essent, illis committendas esse credidit, ut provincialium ingenia & instituta penitus cognoscerent, dum litigantes, studio defensionis aut victoriae, partium arcana vitamque omnem apud iudices, ut vulgò fit, detegunt. Vnicum hoc vinculum retinenda auctoritatis. Itaque Legatos jubet alias quoque causas investigare, in synodo definire, & si tanti quaequam causa momenti fuerit ut in synodo terminari non possit, ad apostolicam sedem referatur. Si verò aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem Concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Domini timore diffinire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortasse censuram, nostro eam iudicio reservare sancimus.

IV. Nihil heic novi statutum est, ut observabit infra illustrissimus Archiepiscopus. Ea quippe erat portio antiqui juris quod Episcopo Romano competeat in Occiden-

te, nimirum ut ad eum referenda essent ex omnibus provinciis causae difficiles & ambiguae, quae provinciali non potuissent examine definiti. Nam & in mandatis Episcopo Thessalonicensi datis, de quibus fusc actum est supra, ea illi semper lex imposita erat, ut causas difficiles & ambiguas apostolicae sedis iudicio reservaret post examen provinciale. Nihil igitur heic novi statutum est à Nicolao. At sequens clausula, ut adnotat illustrissimus Archiepiscopus, prorsus abolet auctoritatem synodorum, sive pro iudicandis causis, sive etiam pro condendis canonibus. Nam jubet acta synodi ad se mitti, ut si invenerit causas secundum aequitatem definitas fuisse, Deo omnipotenti gratias referat, si verò injustè fuerit iudicatum, restaurare jubeat cognitionem. *Statuimus autem, inquit, ut cuncta quae in eodem Concilio peracta fuerint ac definita, nostro praesulatus gestorum serie incunctanter significetur; ut si ea iustitia pulchritudine probabilique sanctione definita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus; si verò iniustitia, quod nolumus, & contrarietatis fuerint acta intentione, ea renovare summo jubeamus.*

V. Attamen licet Nicolaus in se traxerit auctoritatem convocandorum Conciliorum generalium, retinuit tamen aliquam reverentiam erga Reges nostros. Colligitur istud ex epistola ejus ad Rodoaldum & Ioannem de synodo Merensi convocanda. Nam cum generalia mandata dedisset, specialèque instructionem cum hac epistola mittere se significasset, jubet ut tam epistolas synodicas quam istas ipsamque Commonitorium Regi Karolo praesentibus cunctis ostendant. Quod idem est ac si juberet uti Legati literas legationis suae sive facultates ac praeterea secretas, ut hodie loquimur, instructiones cum Principe communicarent, ut praesentibus Consiliariis ejus examinarentur, tum demum verò executioni mandentur delegataeque sibi auctoritate Legati utantur si consensus Regis accesserit. Haec sunt verba Nicolai: *Et deinde cum pro causa Balduini ad Carolum perrexeritis, eidem glorioso Regi epistolas synodicas, & has quas nunc vobis dirigimus, pariter cum Commonitorio, praesentibus cunctis ostendite.*

VI. Non solum autem Principis dignitati prospexit, sed etiam Episcoporum, seu ut specie honoris eos in partes traheret, sive quia putabat non aliter coherere posse concordiam quam si ista fierent cum eorum consensu, quod intelligeret vir prudentissimus auctoritatem quae dabatur Legatis adimere suam Episcopis, id verò invitis illis fieri non posse. Ea de causa addidit ista in eadem epistola: *& non solum ei, id est, Karolo, haec quae dicta sunt ostendite, sed & omnibus Episc.*

Tom. II.

copis & universis fidelibus hoc notum facientes palam legere & denunciare studere. Populo quoque Christiano ista significari jubet, ob necessitatem publicationis, ne quis ignorantiae vitio se tueri possit. Ea ratione Nicolaus Conciliorum provincialium auctoritatem infregit, & paulatim omnis auctoritas quae penes Episcopos erat in jus ditionemque Romani Pontificis transit.

VII. Emerferunt deinde frequentes legationes, quas recensere supervacaneae diligentiae fuerit. Itaque omissa ea cura, decuremus per illustriores sequentium seculorum eventus, simul admiraturi quorundam virtutes & summas animi dotes, & narraturi etiam inviti multorum probra atque dedecora.

CAPVT XLVI.

Synopsis.

I. Sub initia tertiae Regum nostrorum dynastiae nova politica forma introducta est in detrimentum auctoritatis Metropolitanorum & Conciliorum, tum etiam dignitatis regiae. Quippe omnes causa pendebant ab arbitrio Legatorum. Ad eos quoque pertinebat convocatio Conciliorum generalium ex provinciis sua legationis, in quibus illi primum semper locum obtinebant. Legatus statim ac advenerat in provinciam, cogitabat de celebrando Concilio.

II. Magna autem erat Legatorum dignatio, quod in provinciis potest usurparem auctoritatem suspendendi & deponendi Episcopos. Unicum eorum suffragium equiparabatur collectis totius synodi suffragiis. Primam causarum cognitionem ad se trahebant. Canones sanciebant.

III. Eorum auctoritas interdum porrigebatur in universum regnum, interdum verò in quasdam tantum provincias. Disputatio instituitur de terminis Aquitanicae legationis, quae plurimum olim splendore & auctoritatis habuit. Enumerantur provincia quae Legato Aquitaniae parebant, in quibus fuit Britannia sub Archiepiscopo Dolensi.

IV. Probatur ex historia Pontificum & Comitum Engolismensium; & ex Bulla Paschalis II. de legatione Gerardi Episcopi Engolismensis, quae refertur.

V. Disputatur an Gerardus ille legationem illam habuerit sub Gelasio secundo. Afferantur argumenta in utramque partem.

VI. Transgressus Gerardus in partes Callisti, legatione Aquitanica ab eo ornatus est. Refertur Bulla Callisti de ea legatione.

VII. Igitur legationis Aquitanicae termini in Britanniam porrigebantur: Nam Britannia suum Archiepiscopum habuit alium à Turonensi etiam Adriani IV. pontificatu.

VIII. Enumerantur rursus provincia Aquitanica legatione conclusa; & ostenditur latius patuisse legationem Amasi Episcopi Oleronensis, cui praeter eas provincias commissa est etiam provincia Narbonensis integra. Quid tum provincia Narbonensis finibus comprehendere.

IX. Cum Gregorius VII. primum Lugdunensi Ecclesiae concessisset super quatuor provincias Lug-

R ij

Tom. II. app. 2. in epist. ad Rodoaldum, cap. 2.

Tom. II. app. 2. in epist. ad Rodoaldum, cap. 2.